

que illa admouenda supra locum affectum, vt constrictis venis partis, & vacuis spacijs cursus humo-
 ris intercipiatur. Conferunt & illa cerutici imposita, in qua vasa sunt, per quæ à capite materia noxia
 ad affectum latus descendit: Ac vt breuiter dicam, spectandum est, quicquid est in materia, vel in lo-
 co, in quem decumbunt humores, vel à quo commouentur, vel per quem feruntur, illudque remouen-
 dum, quod fluxionis susceptionisque labentis humoris est causa, si modo id fieri possit. Siquidem par-
 tis situs, connexioque remedia non admittunt, vtpote quæ secundum naturam ita nobis sint insita, vt
 mutari nequeant. Iam verò videndum, quid postulent febris, & illius causæ. Indicat profectò illa refri-
 gerantia, & humectantia; non quòd morbus sit calidus, & siccus, nimirum quum siccitatis ratione
 actiones perpetuò non vitiet; sed quod excedens ille calor siccitatem quandam inuehat, cui nisi suc-
 curratur, morbosa tandem euadit. Cæterum quum febris, quæ pleuriticis sequitur putrida sit, duo indi-
 cantur necessaria præsidia, & duæ sunt causæ quæ ad putredinem faciunt procreandam, materia (in-
 quam, & id quod eam putrefacit. Porrò materia duplex. Quædam enim iam corrupta est, siquidem
 putrefactio corruptio est quædam, cui debetur vacuatio; alia verò, quæ in via est ad putredinem, cuius
 vitium non nisi coctione emendare licet. Hæc enim humores, qui caloris excessu dissimiles sunt red-
 diti, alterat; & quantum licet per materiam, concoquentibus partibus assimilat. Est autem id quod ma-
 teriam putrefacit, & corrumpit, calor ipse febrilis, qui refrigerationem indicat, nec tolli potest solis
 refrigerantibus, nisi ablati eodem negotio causis, à quibus est auctus. Causa verò in huiusmodi fe-
 bre non est obstructio sed inflammatio lateris, quam remouere oportet per commoda auxilia, & con-
 temnenda ea, quæ ad obstructions faciunt, quorum nullus in huiusmodi febribus potest esse vltus.
 Atqui vacuatur materia putrefacta purgatione potissimum quæ victo iam morbo, & concocta mate-
 ria, est instituenda per idonea pharmaca quo tempore, & sudore, & balneo, & insensibili transpira-
 tione educitur. Concoquunt autem pro diuersitate materiæ nunc temperata, nunc frigida, nunc cali-
 da, sicca, humida, extenuantia, incrassantia, & incidentia; tum illa, quæ vacuant, si fortè humor præ co-
 pio concoquentis naturæ vires excedit. Quibus verò remedijs inflammatio ipsa curari possit nunc tra-
 dendum est, hoc enim ex prima diuisione eorum, quæ præter naturam in hoc casu esse diximus, qui-
 bus medendum sit, superesse video: id quod ostendet natura ipsius affectus, qui quum ex repletione
 humoris consistat, indicat adferenda esse auxilia, quæ eum celeriter euacuare possint. Quòd si id asse-
 qui nequiuimus, suppuratio procuranda; quæ etsi fugienda est, quantum licet, tamen vbi alia non
 profunt, præstat eam admittere, quàm corruptionem, & certam mortem expectare. Nam post suppu-
 rationem adhuc spes aliqua de salute remanet; post corruptionem verò, & putrefactionem nulla. A
 induratio, & translatio humoris in pulmonem, quibus modis inflammationes lateris nonnunquam
 solui diximus, nequaquam tentandæ. Quid autem sumi possit ad vacationem, natura humoris, & lo-
 ci affecti conditio ostendent. Nam mitioribus remedijs sanguis purus, & biliosus, quàm pituitosus,
 vel melancholicus discutitur. Patitur quidem membrana succingens costas, interim tamen, vt in om-
 ni alia inflammatione, venæ circumstantes humore distenduntur, estque membrana rara vt exsudare
 per illam possit humor, constituitque superficiem internam thoracis, in cuius cavitare est pulmo, in
 quem facile ob mollitiem recipitur humor, qui exsudat, & per tussim expuitur. Nec distat eadem à cu-
 te, adeò vt portio humoris adhibitis remedijs lateri vacuari queat. Est & hæc pars in loco calido, vbi
 caloris insiti vi aliquid dissoluitur. Propterea tria erunt à nobis præstanda; vacuandus inquam humor
 per digerentia extrinsecus admota (nam quæ sensibilibus vacuant, inflammatio antè suppuracionem
 non admittit) & per ea, quæ sputum prouocant; & propterea inuandus calor; ac digerentia, internis
 que calor non solum consumunt materiam, quæ sub membrana continetur, sed eam etiam, quæ in ve-
 nis est. At per sputum ea educitur dumtaxat, quæ a venis intra membranam excidit, alia enim non ex-
 puitur; cui etiam præter digerentia venæ sectio, & purgatio ab initio contulit. Sunt autem (ut dixi-
 mus) digerentia ex vno genere rerum sumenda, nempe ex illo, quod extrinseca omnia præsidia exhibe-
 bet. Atque illa quidem (vt diximus) pro differentia humorum calida, humida, sicca, vel ex his composi-
 sita sunt eligenda; adhibendaque in vnguenti, vel emplasti, vel fomenti, aut alterius compositionis
 formam, prout magis expedire videbitur. Nam vbi materia admodum calida est, fomenta, & vntio-
 nes tutius admouentur: emplastra verò, & cataplasmata suum maximè habent vsum in frigidore hu-
 more, qui ampliorem calorem ex crassitie medicamenti requirit. Possunt & ad huc vsum admoueri
 cucurbitulæ in rebelli admodum affectu: hæc enim validissimè humorem euocant, præsertim si scari-
 ficatio addatur. Cæterum calor internus discutit quidem, absomitque noxium humorem, sed non tu-
 tum est, præsentè febre, eum augere, nec commodum iniungere animi, corporisque motus, aut quæ in-
 geruntur remedia calida, quæ id faciant. Quare maior spes in ea vacatione, quæ per sputum perfici-
 tur, collocanda est, quæ sua quoque postulat auxilia. Nam quum ad expuitionem humorum necesse
 sit thoracem ipsum dilatari, comprimi, variè denique agitari, requiratur præterea huiusmodi materia
 quæ ne uel nimia tenuitate diffluat, dū ab aere expirato sursum attollitur, aut ob nimiam crassitiem di-
 moueri nequeat, neue etiam ob visciditatem tenacissimè inhæreat, duo hæc nos spectare oportebit,
 quum sputum elicere studemus, vt scilicet thoracem ad motum aptum, & materiam ipsam medio-
 criter